UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Quis dispensat in defectu scientiæ? parag. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

Visual Library

aliis Ordinibus ad altiorem gradum aſcenditur.

Ad id, quod additur. Reſpondeo, etiam parem convictum cum Doctis habere Sacerdotem Sæcularem, ſi ſuo officio non deſit, vacandi ſemper in Eccleſijs. Præterea nullum Epiſcopum invenies, qui te velit promovere ad Sacerdotium ob ſolam ſpem, quod Patrem, Fratreſque germanos habeas, qui te continuo inſtruant. Inſtructos Sacri Canones, & præcipue Tridentinum requirunt, non inſtruendos.

Non autem eſſe tam rigidus, volo, ut non approbem illa duo, quæ meritò approbat Majol. a

a Majol. de Irreg. l.1. c. 4. n.7.

Alterum, aliquid circa litterarum peritiam indulgeri poſſe pro Regularibus, ſi ſint Anachoretæ, & ſolitarij.

Alterum, ſi ordinandus, ut notavi §. 2. n. 5. neceſſarius ſit pro Oppido, vel Sapientiores haberi nequeunt; multo magis, ſi indigeat operarijs vinea Dei in locis Infidelium, ſuppoſita ſolida virtute ordinandi, quia præſtat Sacerdotem habere non valde doctum, quam habere nullum.

Adde, & tertium cum Gibalino, b & Villalobos. Si Canonici, inquiunt, vel alij Beneficium habentes, inſignes ſint moribus, aut alioquopiam eximio bono præditi, facilè ſcientiæ defectus aliquis diſſimulari poterit. Hæc illi de Beneficiarijs, quæ certè Sacerdotio in aliquo rarò caſu convenire, poſſe, non eſt repugnandum,

b Gibal. de Irreg. c. 3. q. 1. n.8. ſine.

§. IV.

De Examine Ordinandorum ad cognoſcendam eorum peritiam.

1. IUxta Tridentinum, c ut diximus, omnes, etiam Regulares, ſunt diligenter examini ſubdendi. Circa quod, cùm declaratione non indigeat duo adverte duntaxat.

c Trident. ſeſſ.23. c.12. de Reform.

Primò, ſi ordinandus ſit aliundè notus, poſſe examini non ſubijci, ut notat rectè Sanchez. d Immò convenientius fore, puto, ſi ille non examinetur, quando eius certa peritia eſt, ut nimirum intelligant omnes, benigne, immò, & cum decore excipi ab Eccleſia, Sapientes.

d Sanc. in conſil. l.7. c. 1. d.46. n.8.

Secundo, Regulares ex vi Tridentini citati ſubduntur examini Epiſcoporum, ut probat Caſtropal. e non obſtantibus eorum privilegijs. Tamen, quia poſt Tridentinum adeſt Privilegium Gregorii XIII. quo videntur eximi ab examine prædicto promovendi ex Societate, omneſque fere Religiones contendant, hoc idem Privilegium ipſis per communicationem fuiſſe conceſſum (id, quod meum, nunc decernere, non eſt) ideo ſolum Epiſcopis dico, eos poſſe acquieſcere examini, ſeu approbationi factæ à Superioribus Religioſis promovendis, ſicuti acquieſcere idem Epiſcopus ſolet ſuis proprijs Examinatoribus. Id autem dico, quando Epiſcopo moraliter conſtat de ſinceritate & diligentia dictorum Superiorum. Quod addo, quia nimis frequenter adverti, Superiores plus æquo eſſe in re hac indulgentes ſuis Religioſis, cum tamen ipſos Religionum Prælatos reſpiciat Præceptum Tridentini, ut diligenter examinent promovendum.

e Caſtrop. Ord. p.8. n.

§. V.

Quis diſpenſet in defectu Scientiæ?

1. SI conſtet, eſſe quempiam illiteratum in eo gradu, quo §. 1. dictum eſt, ſtatim conſtabit, eum eſſe Irregularem ita, ut nemo illum diſpenſare, niſi ſummus Pontifex, poſſit.

At, quia, ut in ſimili ſupra notavimus, ſæpè Epiſcopo declarare conceditur, imperitiam non eſſe in eo gradu, qui conſtituat hominem illiteratum, atque adeo Irregularem, ideo poterit tunc Epiſcopus eundem ad Ordines promovere.

CAPUT XIII.

De Irregularitate ex mala Uſurpatione Baptiſmi.

EX aliorum Sacramentorum abuſu nulla a oritur Irregularitas, præter Baptiſmum, & Ordinem, de quibus jam brevem tractationem aggredior.

a Caſtrop. de Conſ. d. 6. p. 16. Laym. l.1. p. 5. c. 2. Suar. d. 42. de Conſ. ſec 2.

§. I.

De Baptiſmo male ſuſcepto.

1. QUi Baptiſmum (utique validum) ab Hæretico ſcienter extra caſum neceſſitatis recipit, b Irregularis eſt.

2. Dixi (ſcienter) nam, tum Infans (quicquid dicat Majolus) tum Adultus, qui hanc prohibitionem neſcit, ſicuti excuſatur à culpa, ſic & excuſatur ab hac pœna.

b Suar. 3. p. T3. d.35. ſe. 6. ſine Theſ. de pœnit. Eccl. p.2. V. Bapt.